


Joachim Lütkemann Benedictus Ristelius

Disputatio Philosophica De Principiis Rerum Naturalium Constitutivis

Rostochii: Richelius, [1649]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730220184>

Druck Freier  Zugang



Ru phil 1649
Joachim Lippmann
Pneumia Ristulitis

DISPUTATIO PHILOSOPHICA
De
PRINCIPIIS RE-
RUM NATURALIUM
CONSTITUTIVIS,

Quam
NUMINIS ÆTERNI AUSPICIO,
Consensu & Suffragio Amplissimi Senatus
Philosophici in celeberrima Rosarum



ACADEMIA,
SUB PRÆSIDIO
VIRI

Optimum Reverendi, Clarissimi
atq; Excellentissimi

DN. JOACHIMI Lüttemann/

SS, Th, D. Ecclesiast, Phys, Metaph. Prof. Publ,
Ampliffimæ Facultatis Philosophicæ p. r. DECANI
spectabilis, Promotoris ac Præceptoris
sui officiosè colendi,

Publicè examinandam proponit

BENEDICTUS RISTELIUS

O-Gothia Svecus.

In Auditorio Majori d. Martii
horis Matutinis.



ROSTOCHI

Typis Johannis Richelii, Senat: Typogr.

1644


DISPUTATIO PHISORICA

PRINCIPIS RE-
HUM NATURALIUM
CONSTITUTIONIS

NUMERUS PAGES 120

Conspectus & Synopsis
Philosophiae celestium & naturalium

Sub Praesidio



DR. JOACHIMI BÄRMANNI

RENDITIONIS

in Auditorio

Rostock

Typis Johannis Rostockensis



THESIS I.

Cum per varios Philosophiæ campos oberrarem, inter multos ibidem flores, aspectu jucundissimos, non incommode pendendam mihi se præbuit, doctrina de principiis rerum naturalium constitutivis. quippe quibus ignoratis & non benè constitutis, cætera ignota & ruinosæ fieri oportet.

H.

Dari autem rerum naturalium principia, adeoque naturæ necessaria esse, quotidiana fatis docet experientia; indes enim res naturales dissolvi & interire deprehendimus, compositionem autem omnino præsupponit dissolutio, cum id, quod naturam habet simplicem, & omnem compositionem respuit, in simpliciora resolvi nequeat. Unde iterum sequitur omne quod compositum est, ex principiis coalescere, in quæ tandem quoque corruptum revertatur.

III.

Diversas vocis principii significationes consulto transeuntes, easque Metaphysicis relinquentes, principia hic consideramus Physica, quæ corpora naturalia ingrediuntur, constituunt & absolvunt.

IV.

In numero autem horum principiorum investigando, magna diffentione ab antiquis sapientiæ consultis laboratum est, quorum quidam pro uno, quidam pro infinitis rerum primordiis pugnarunt, Nos autem Duo tantum *Materiam* sc. & *Formam* principia rerum naturalium constitutiva cum communi saniorum omnium Philosophorum Schola statuimus & agnoscimus.

V.

Quorum etiam de principiorum numero expressam in historia creationis mentionem fieri qui dixerit, parum forte inconvenienter dixerit, ubi Moses inquit: Formavit Deus hominem ex *limo terre*, tanquam ex *Materia* altera parte corpus humanum constituentem.

te: & inspiravit ei *spiraculum vite, animam sci. rationalem, formam ho-*
mininis specificam Gen. 2.

VI.

Initium hic à *Materia*, licet non dignitate; sua tamen tanquam natura formis priori, faciendum arbitramur; cujus varias qui cupit^o acceptiones, adeat passim Metaphysicos qui copiose ipsi sasisfacient; nos brevitati studentes, per *Materiam* hic intelligimus partem rerum naturalium essentialem & constitutivam.

VII.

Hæc rerum physicarum *Materia* in Primam & Secundam ab omnibus fere Phycis dividi consuevit, quam & nos tanquam veram & longo jam usu receptam approbamus & amplectimur.

VIII.

Et si autem *materia* hæc prima immediate & à priori in sensus non incurrat, cognitione tamen adulterina & à posteriori in rebus naturalibus deprehenditur. Dum n. sensibilem materiam, quæ secunda nuncupatur, spectamus, ex ea hujus materię intelligibilis naturam judicamus.

IX.

Quam igitur rebus naturalibus inesse, ita probamus. In corporibus simplicibus datur omnino *materia*, quia datur ibi quantitas, comes materię individuus. Jam separetur mente vel virtute divina forma aeris ab aere. Quæro, an *materia* illa aeris, forma sua jam destituta sit Prima vel Secunda? Si Prima, habeo quod volo. Si Secunda, priorem dari necesse est, ex qua illa sit composita. Et sic tandem in aliquo ultimo subsistendum est, nisi progressum in infinitum dari crude statnamus.

X.

Quid autem sit, ut verbo complectamur, dicimus *Materiam* hanc primam nihil aliud esse, quam quod ipsa *Elementorum* *materia*, ex qua immediate componuntur illa, in quam corrupta etiam ultimo resolvuntur.

XI.

Deinde habet *Materia* hæc duplicem in se potentiam, unam universalem, qua indifferenti propensione ad omnes formas fertur, promiscue, unde etiam libera dicitur & indifferens ad opposita, hoc est, non magis ad unius quam alterius rei naturalis formam inclinat:

æqua-

æqualiter enim & indeterminate omnes appetit; licet omnium simul non sit capax, nec de facto omni unquam forma destituatur.

XII.

Alteram particularē, quæ magis in hanc, quam in illam propendet formam, ita sc. ab interveniente principio externo disposita, sic Materia prima, quæ est in femine Leonis, per potentiam particularem magis apta est ad formam Leonis, quam equi vel alterius alicujus animalis induendam.

XIII.

Hæc universalis materiæ potentia non est aliquid in ea accidens, sed ipsa ejus essentia, per quam est id quod est, licet enim materia pura dicatur potentia, & substantia sit incompleta, ultimam sui perfectionem à forma nanciscens; actum tamen habet entitativum, & est omnino aliquid Ens extra suas causas productum.

XIV.

Id quod rerum artificialium analogia non incommode declarari potest. Sicut enim argentum non actu, sed potestate dicitur poculum, antequam forma poculi ab artifice introducta fuerit. Argentum nihilominus corpus quoddam est, quod existentia sua propria existit, licet nulli adhuc formæ subjaceat. Ita quoque materia absolute considerata actu suam habet essentiam, atque existentiam, distinctam ab essentia atque existentia formæ. Quam si non haberet, haud video quomodo corporum naturalium constitutionem ingredi posset & quid non potius nihil diceretur.

XV.

Ubi notandum quod cum ita absolute consideratur, nullo sc. ad formam habito respectu quoad essentiam suam tum non multiplicetur, sed specie una eademque reperiatur, in omnibus corporibus naturalibus, tam celestibus, quam sublunaribus idem enim immediatus materiæ effectus invenitur in omnibus corporibus, eadem nempe quantitatis essentia cujus causa est materia.

XVI.

Deinde quod secundum hanc eandem considerationem ingenerabilis etiam sit & in corruptibilis, quia ultimum est generabilium & corruptibilium rerum subjectum. Generari igitur non potest, quia se

priorem, ex qua generetur, materiam non agnoscit. Nec corrumpi, quia se posteriorem, in quam corrupta redeat, ignorat.

XVIII.

Hic autem observes licet materiam primam non generari, nec unquam per generationem esse factam, adeoque initium ratione generationis ignorare dicamus; non tamen propterea cum Arist. S. literarum ignaro eam facimus æternam; Sed per creationem capisse, eam atque vel ipsam materiam primam Mosaicam, vel in illa ipsa creatam statuimus.

XVIII.

Hic tamen notandum est materiam generabilem, & corruptibilem dici posse, quatenus sc. est Subjectum susceptivum formæ in generatione & corruptione; mutatis n. formis & ipsa subjective mutari dicitur. Non autem terminative seu objective quoad suam essentiam, ita ut ad nihilum redigatur & evanescat.

XIX.

Materia secunda est corpus quod ex alia materia priore constat. Ut elementa, quæ omnium corporum mistorum materia sunt secunda. Tantum de materia quam consideratio Formæ nobilissima excipit.

XX.

Alterum nunc sequitur compositi naturalis principium, *forma sc. rerum substantialis*, quæ quamvis ratione ordinis occupet extremum, dignitatis tamen & præstantiæ suæ respectu primas meritò tenet; quippe quæ & perfectior est & a natura principaliter intenditur.

XXI.

Cujus arduam si cognitionem, & deplorandam intellectus humani imbecillitatem consideremus, scientiam nostram in sole umbram esse fateri cogimur; quia dum formas quærimus rerum proprias, vix leviculum est, quod offendimus, adjunctum. Aliter enim qui statuunt, & formas rerum essentielles, haud difficulter inveniri garrunt, illis experientia plenis reclamatur tibiis, quis enim lapidis, qui quotidie nostris observatur oculis, formam nominare potest, specificam? inquit, ingens illud stupendæ subtilitatis miraculum, Scalig:
Ex. 307.

XXII. Hinc

XXII.

Hinc etiam factum est ut antiquorum nonnulli philosophorum formas substantiales dari inficiarentur, quos prolixè hic refutare operæ precium non æstimamus, cum quilibet in seipso operationes fere infinitas perpetuo se eodem modo habentes & videat & sentiat, quæ non aliunde quam ab ipsa forma specifica provenire possunt. Unde etiam illa principium salutatur activum, sicut materia passivum quod ex ea nullæ prodeant actiones.

XXIII.

Quidam autem paulò adhuc mitiores in formas extirpantes, sed nihil tamen esse aliud quam nuda quædam accidentia statuentes, quorum sententiæ neque suffragari possumus, licet enim formas dari accidentales non ignoremus formas nihilominus rerum naturalium veras esse substantias asseveramus. Cum enim partes sint compositi essentielles, materiæque quam informant, imò toti composito id tribuant, quo existat atque ab aliis rebus essentiali discrimine differat, accidentia esse non possunt.

XXIV.

Quod etiam ex ipsa hac formarum definitione liquet: Forma est principium essentielle activum compositi naturalis, quod cum adjuncta materia unum per se constituit, eique essentialiam & nomen intrinsecus elargitur, estque causa prima operationum in ea propriarum.

XXV.

Varia formæ nomina diversæque significationes apud Physicos & Metaphysicos videantur.

XXVI.

Nunc porro despiciendum unde formæ suam trahant originem: Non nobis hic sermo est de creatione formarum, factam in principio mundi, ubi Deus Numen illud æternum, omnes rerum naturalium species ex nihilo creavit, sed unde jamnum hodie multiplicatis individuis & ipsæ propagentur.

XXVII.

Cæcis ethnicorum missis opinionibus statuimus nos omnem formam generari à forma specie sibi simili, ut equus per suam formam specificam generans, aliam sibi similem producit numero quidem

dem à sua forma diversam, sed secundum speciem planè eandem. Idq; juxta vim & efficaciam primævæ benedictionis divinæ, crescite & multiplicamini secundum species Gen. i. v. 17.

XXVIII.

Adhuc tamen dubitari potest, An formæ se multiplicent per divisionem, an per novæ formæ productionem? Ubi notandum rationem multiplicationis non esse in omnibus eandem, aliter enim comparatum est, cum formis materialibus, aliter cum immaterialibus: Per divisionem seu transfusionem multiplicantur illæ? Ut ab una salice plures propagari videmus, quarum anima per se licet non fit quanta, suo tamen modo ad divisionem materiæ dividitur, & una numero actu existens, multiplex est potentiâ, actuq; multiplicatur ad subjecti corporis divisionem. Hæ autem non nisi per novæ formæ productionem, mediante semine propagantur.

XXIX.

Formas hic vocamus materiales, quæ perpetuo materiæ sunt immerse, sine qua nec esse nec operari possunt; Tales sunt omnes formæ infra animam rationalem.

XXX.

Has inter non nullæ sunt quæ ante rerum generationem, actu primo in materia latitant, ibiq; tanquam gremio ejus foventur, ubi verò materiam benè dispositam habuerint, in actum secundum sponte prorumpunt, & per vim propriam activam, in suas se operationes promovent.


XXXI.

Accurate enim observandum est, formas in materia sæpe integras residere, nullas tamen actiones ibi exercere, sed mortuæ quasi delitescentes, munus formandi & actuandi suspendere: Ut insecta suis ad oculum docent exemplis, quæ propter intensum, quo castigantur, frigus, non secus ac emortua per hyemem latitant, in quibus nullæ prorsus actiones apparent. Forma enim ne minimum quidem, quod sui est muneris, exequitur, ubi tamen actu primo revera existit, & calore solis accrescente refocillata, ipsa se in actum promoveri secundum, sive quod idem dixeris, in manifestas transit operationes.

Sola

Sola anima rationalis forma est immaterialis & separabilis. Licet enim essentialem compositi partem constituat; Ipsa tamen absq; materia quam informat, & esse & operari potest: Quippe quæ naturam cæteris longè nobiliorem à Deo sibi indultam habet. Illæ enim mortales sunt & caduæ; Hæc corruptionis nefcia, & perpetuæ æternitatis candidata.

Laus honor atq; decus tibi sit
Trinuna Potestas.



Corollaria.

I.

An anima vegetativa sit forma arborum & plantarum specifica? N.

II.

An formæ Elementorum integræ mancant in mixtis? A.

III.

An qualitates primæ sint formæ Elementorum substantiales? N.

IV.

An in uno eodemq; composito præter formam specificam & ultimam dentur formæ partiales? A.

V.

An materia rectè dicatur appetere formam? A. distincte,

††



Materiam tibi principium tu feligis? Unde?
Sic Naturam te scire, probare potes.
Quid scire est aliud, rerum quam noscere causas,
Euge! Viri doctas laurea cinge comas.

Cum gratulatione f.

Joach. Säkemannus
Præses.



Ad Eximium

Dn. BENEDICTUM RISTELIUM

Log. & Rhetor. in regio, quod est Wiburgi Fin-
norum, Gymnasio Lectorem designatum,

Amicum dilectum

DISPUTANTEM

de


Principiis rerum naturalium,

ως φωνησι.

Qui de principiis *benè naturalis abyssì*
dicis ad orchestas, & clara Theatra Roseti
nunc Svedis medium: finem Finnonibus infer.
Pro tibi principiis reddet Rosa nostra MAGISTRUM
Spartam Wiburgum; nomen mirabitur Abo.

Augustus Varenius,
SS.Th.Lic. & Heb.P.P.





XXX
Sola anima rationalis forma
Licet enim essentiali compositi
absq; materia quam informat, & esse
naturam ceteris longe nobiliorem
enim mortales sunt & caduca; Ha
tua aeternitatis candidata.

Laus honor atq;
Trinuna



Corol

I.
*An anima vegetativa
plantarum specifica? N.*

II
*An forma Elementorum
mixtis? A.*

III
*An qualitates primae
substantiales? N.*

IV
*An in uno eodemq;
specificam & ultimam den*

V.
*An materia rectè dic
A. distincte*

lis & separabilis.
uat; Ipsa tamen
test: Quippe quæ
ultam habet. Illæ
s nescia, & perpe

bi sit

a arborum &

& mancant in

Elementorum

trater formam
partiales? A.

re formam?

